

tionibus in aliis scientiis, quarum objecta nec quoad existentiam necessaria sunt.

Ad Conf. R. quoad 1. D. Effectus creati non sunt proportionati in ratione cognoscibilis, aut habitudinis seu connexionis *N.* in ratione entitatis aut entitativæ perfectionis *C.* Sane sicut infinita Dei perfectio non impedit, quominus creaturæ sint illi proportionatæ in ratione effectus ab eo producibilis, et in ratione *objecti* ab eo amabilis vel odibilis; ita nec impedit, quominus creaturæ sint ipsius existentiae proportionatæ in ratione *medii* *objectivi*, per quod ea a nobis cognoscatur: ad hoc enim satis est, quod cum Deo tanquam causa ipsæ tanquam effectus necessario connectantur; hæc autem connexio per discursum evidentem ipso rationis lumineprehendi a nobis queat.

Quoad 2. N. ass. Ad prob. R. Creaturas nec præcise ut entia, nec ut effectus creatos probare existentiam Dei; sed transeundo a creaturis materialiter sumptis ad eas sumptas formaliter argumentum fieri hoc modo: Dantur entia: hæc entia sunt creata; ergo datur creator; in quo cum prima propositio detur ab adversariis, altera vero validissime probetur, postrema est demonstrata.

13. *Nec dicas II.* Ex eo, quod videatur aliquis effectus productus ac existens, nec 1^o. infertur recte *causam* ejusdem actu existere; cum illa jam sæpe desiderit esse: nec 2^o. causa increata seu Deus absolute colligitur; tum effectus creati saltem in causis æquivocis possunt esse a sola causa creata, v. g. homo ab homine. *Conf.* Non potest cognosci vel demonstrari, Deum *existere*, nisi cognoscatur vel demonstretur Dei *esse*; quia essentia et existentia Dei sunt quid idem; sed nequit per creaturas cognosci ac demonstrari esse vel essentia Dei; ergo.

R. Ad 1. D. Recte non infertur, causam ejus immediatam et creatam actu existere *C.* primam ac increatam *N.* Causa *creata*, quamvis existere debuerit, dum effectum produxit, non tamen, dum effectus etiamnum perstat, permanere debet, cum cum ex supposito non conservet; neque etiam perpetuo durare potest, cum non sit, nec supponatur æterna: utrobique contrarium occurrit in causa *increata*, ac proinde tum æterna, tum necessaria ad rerum omnium conservationem.

Ad 2. D. Causa increata seu Deus non colligitur ex quibuscumque effectibus semper immediate et per quodlibet medium *C.* non colligitur saltem mediate et per aliquod materiæ proportionatum *N.* Ubi causæ sunt *univocæ*, non ex singularibus, sed ex collectione argumentum pro existentia Dei sumitur; ubi vero causa requiritur *æquivocæ*, a particulari immediatus transitus ad causam increatam fieri potest.

Ad Conf. R. D. M. Non potest cognosci aut demonstrari, Deum existere, nisi cognoscatur aut demonstretur esse vel essentia Dei quoad existentiam *C.* quoad se seu prædicata constitutiva *subd.* nisi cognoscatur vel demonstretur quoad prædicata constitutiva omnia, seu adæquate *N.* quoad prædicata saltem aliqua cum Deo convertibilia, scilicet entis necessarii, improducti, a se, vel causæ primæ, auctoris universi etc., seu inadæquate *C.* Sufficit ad cognitionem existentiae divinæ habendam notio quædam vel inadæquata vel confusa de Dei essentia, quæ in quæstione, *an est*, supponitur; quia alias nec creatura ulla clare cognosci, nec ex effectu aut causa demonstrari

posset, cum nihil in hac vita penitus ac intime secundum omnia attributa percipiatur.

Ad prob. R. Nihil ex ea sequi: nisi quod cognita ac demonstrata Dei existentia, saltem imperfecte et secundum aliquod essenziale prædicatum cognoscatur Dei essentia, præsertim physica.

ARTICULUS IV.

QUIBUS ARGUMENTIS DEMONSTRETUR DEUM EXISTERE.

16. *Nota.* Sicut argumenta alia dicuntur metaphysica, alia physica, alia moralia; sic et demonstrationes: *metaphysicæ* sunt, quarum media desumuntur ex natura et essentia Dei aut entibus spiritualibus; *physicæ*, quarum argumenta colliguntur ex materia, mundo et corporibus; *moralis*, quarum motiva vel fundantur principiis prudentiæ, vel a materia mores spectante depromuntur. Triplicis hujus generis argumenta varia afferuntur a variis, inter quos S. THOMAS hic q. 2. a. 3. proponit quinque ac 1. quidem ostendit admittendum esse primum motorem, 2. causam primam, 3. ens necessarium, 4. ens perfectissimum, 5. Conditorem ac Gubernatorem universi; atque hinc Deum existere infert. Pleraque ex illis proferemus. 1^o. Ens a se seu *necessarium* intelligimus id, quod quoad suum esse est independens ab omni alio, habetque ex essentia existentiam vel necessitatem existendi. 2^o. Ens *perfectissimum* dicitur, cui nihil perfectionis omnino deest, nec ab alio exceditur. 3^o. In ente necessario posse existere idem est ac existere; quia, cum posse habeatur ab essentia, et existere sit de essentia entis necessarii, posse ac esse in eodem conveniunt. 4^o. Similiter posse habere perfectionem vel ejus gradum hic idem est ac habere: cum enim ens necessarium non existat sine perfectione; sicut ab essentia habet, quod existat, sic ab eadem habet quod tale existat. 5^o. Omnis *limitationis* debet esse aliqua causa, sive extrinseca sive intrinseca; hæc vero in ente necessario non alia potest esse, quam propria ejus essentia: neque enim potest limitari ab alio *extra se*, cum sit prorsus independens ab alio: neque etiam *a propria voluntate*; tum quia essenziale esse prius est, quam velle: tum quia, si quid ens necessarium habuit in primo esse, vel non habuit, utpote ab essentia profluens mutari nequit. Itaque, si qua perfectio illi deesset, deberet id fieri ex ejus incompatibilitate cum essentia hujus entis; quæ cum nec assignari, nec dari queat, enti necessario nihil perfectionis omnino deest: neque in hoc etiam ab ullo exceditur; cum unicus duntaxat Deus sit; adeoque ens perfectissimum plane est.

17. *Dico I.* Inter argumenta METAPHYSICA

1^{um}. Est existentia *entis necessarii*. Si enim quidquid hactenus extitit vel existit, mere contingenter existeret, fieri potuisset et jam posset, ut nihil unquam extitisset vel existeret; quia ens mere contingens dicitur illud, quod ita existit, ut possit non existere, non quidem pro sensu composito, sed diviso suæ actualis existentiae: sed hoc fieri non potuisset; quia si hoc foret, etiam potuisset fieri, ut nihil unquam esset possibile; cum hac hypothese stante, si nihilominus aliquid foret possibile, deberet illud posse existere vel pro-

ducendo realiter seipsum tanquam causa adæquata quoad primum esse, vel per mutuam duorum causalitatem se invicem realiter producentium quoad primum esse, ut quodlibet esset causa mediata sui ipsius; quod utrumque impossibile esse evidenter apparet: sed nequit fieri, ut nihil unquam esset possibile; quia possibilitas non est prædicatum aliquod rei existenti accidentale et defectibile, sicut existentia, sed essentielle, *necessarium*, seu reipsa indefectibile.

2^{um}. Argumentum est existentia *entis improducti*. Si enim omne illud, quod mundus complectitur, est productum; ergo debet esse productum ab aliquo intra collectionem rerum productarum contento, vel ab aliquo extra numerum productorum posito: sed prius dici nequit, quia illud ens tanquam productum vel deberet a se ipso produci, vel ab altero vel mediate vel immediate a se antea producto; in quo utroque manifesta est repugnantia, quam agnoscunt ipsi *Athei*, ob id ad infinitum progressum confugientes; ergo debet dici posterius: sed hoc ipso admittitur aliquod *ens improductum*, utpote non comprehensum in universa multitudine rerum productarum, atque hinc ad eandem non pertinens. *Conf.* Etiam omisso aliquo processu in infinitum, tota infinitarum causarum productarum collectio est producta, non ab aliquo *intra* collectionem; ergo ab aliquo *extra* collectionem, seu ab ente improducto.

Prob. 1^a. p. Ant. Illud totum non est improductum, cujus nulla pars nec adæquate nec inadæquate est improducta, ut patet ex ipsa collectionis natura; sed nulla pars etiam in collectione causarum infinitarum est improducta, ut ipsi *Athei* statuunt; ergo.

Prob. 2^a. pars. Nec in collectione causarum infinitarum reliqua omnia producerentur ab uno intra collectionem; quia, cum hoc ipsum statuatur productum, deberet vel a se ipso, vel ab alio quod ante produxerat, produci, contra principia ab ipsis *Atheis* admissa: nec singula forent producta a singulis, quia et hoc implicat; nam in hoc casu (ubi a postremo effectu, qui nihil produxisse supponitur, abstrahi potest) et in infinita collectione causarum producentium et productarum non sunt producta, quot sunt producentia, et infinitis productis debent correspondere infinita producentia: sed hoc fieri nequit, nisi duo se mutuo mediate vel immediate producant; ut patet in collectione finita centum hominum, quorum singuli dant et recipiunt nummum, quorum duo, si nullus sit dans, qui non sit recipiens, debent mediate vel immediate sibi mutuo dare.

18. *Nec dicas 1.* Licet singula entia sint contingentia et producta, tota tamen collectio potest esse necessaria vel improducta; quia non valet argumentatio a sensu *distributivo* ad *collectivum*, in quam tamen utrumque argumentum resolvitur. *Conf.* Ex eo, quod singula entia sint producibilia, non sequitur posse supponi totam eorum collectionem esse productam; ergo etiam ex eo, quod singula entia sint contingentia, et possint non existere, non sequitur, quod possit supponi totam collectionem entium non existere. Insuper, quamvis qualibet creatura possibilis sit producibilis, tota tamen creaturarum possibilium collectio non est producibilis; ergo a pari.

Ad 1. R. Vel illa collectio est quid distinctum ab entibus, vel non. Si *primum*; illud distinctum, quidquid demum sit, erit ens necessarium et im-

productum, ac consequenter non omnia entia sunt contingentia ac producta: si *secundum*: manifestum est, quod illa collectio debeat sequi sortem singulorum entium.

Ad rat. D. Non valet argumentatio hæc in accidentalibus præsertim quantitativis, aut iis, quæ distributioni conveniunt prout distributio est *C.* non valet in essentialibus, aut in iis, quæ competunt abstrahendo a collectione aut distributione, atque hinc a sensu distributivo et colectivo vel a ratione distributionis et collectionis nullam mutationem accipiunt *N.*

Ad Conf. R. quoad prius Disparitas est: quia imprimis plus requiritur, ut res sit, quam ut non sit; adeoque etsi supponi non posset, omnia entia esse producta, posset tamen supponi, ea non esse existentia: deinde possunt supponi producta omnia, prout sunt producibilia vel absolute in se, vel relative ad se invicem, vel relative ad causam producentem: *absolute* et *in se* concipiuntur producibilia in infinitum, ita ut qualibet data productione concipiatur adhuc possibilis ulterior; *ad invicem* si considerantur producibilia, inter ipsa sunt quædam, quæ non possunt simul existere; relate demum *ad causam* spectata, cum hæc sit omnipotens et ejus fecunda virtus exhauriri nequeat, necessario supererunt illi semper infinita entia adhuc producenda: unde variæ rationes obstant, quominus supponi possint omnia esse producta: e contra si negetur ens necessarium, nullum momentum obstat, quominus supponi possit, nullum ens existere. *Quoad posterius N. A.* Vel enim supponis collectionem creaturarum possibilium esse infinitam actu, vel potentia tantum. Si *primum*; etiam illa est actu producibilis, cum possibile idem sit ac producibile: si *secundum*; similiter est potentia producibilis, eo scilicet modo, quo est possibilis, h. e. tot et tot creaturæ et creaturarum collectiones sunt producibiles ita, ut plures et plures semper produci possint.

19. *Nec dicas 2.* Postrema demonstratio evertit processum in infinitum, etiam a S. THOMA admissum; quia causam aliquam primam atque hinc principium infiniti inducit; ergo saltem non valet permissio illo processu.

R. 1^o. N. Supp. Ant. quod S. THOMAS infiniti possibilitatem admittat, cum contrarium constet ex ejus summa p. 1. q. 7. a. 4. et q. 46. a. 2. ad 7.; qui vero inter Theologos etiam possibilitatem infiniti admiserunt, omnes tamen illud a causa prima necessario dependere statuerunt. *2^o. N. Ant.* Quia postrema argumentatio non probat non posse dari infinitum, sed potius instituta est permissa infiniti possibilitate. *3^o. N. rat. A.* Nam quamvis demonstratur dari causam primam *extra* collectionem, non tamen hoc ipso demonstratur etiam causa prima *intra* collectionem, quia posita infiniti possibilitate, Deus potest infinitum producere simul, vel alia quacumque ratione, quam assignant patroni infiniti. *4^o. N. Cons. primo* quidem, quia permissio processu illo, non simul permittuntur omnia, quæ ex infinito sequi ab aliis dicuntur, ab aliis negantur, quale illud est de causa prima *intra* collectionem: hæc enim duntaxat postulanda sunt ab iis, qui processum infinitum admittunt ut absolute verum seu vere possibilem: *secundo* quia permittimus duntaxat processum præcisive talem, abstrahendo scilicet, an præter illum causa prima necessaria sit vel non: *tertio* quia, licet argumento allato probaretur etiam admittenda causa prima *intra* collectionem, non tamen foret vitium argumentationis contra suppositum de infinito permissum, sed

esset modus argumentandi S. AUGUSTINO etiam familiaris, ubi scilicet ab initio aliquid ponitur aut permittitur, sed deinde ostenso absurdo quod ex eo supposito sequitur, idem in fine negatur.

20. *Dico II.* Inter argumenta *PHYSICA*

1^{um}. Est ex hoc mundo *visibili*. Etenim hic mundus visibilis 1^o. non est a se; quia, si esset a se, foret necessarius, adeoque omniperfectus secundum gradus etiam infinitos. 2^o. Non est a casu; tum quia casus nihil est, et ut ens transeat ad existentiam realis causa requiritur: tum quia ex fortuito partium materiæ concursu non potuit coalescere universum hoc innumeris ac variis partibus ad eximiam pulchritudinem, et ad proprios fines assequendos aptissime dispositis ac proportionatis, et ad commune bonum specialeque hominis conspirantibus constans: tum quia nemo nisi insanus dixerit, ex fortuito lapidum, lignorum, calcis et arenæ concursu emersisse palatia, ex characterum imprudenti congestionem prodiisse poemata, ex simili colorum confluxu coaluisse exquisitam picturam etc.; adeoque multo minus admirabile mundi opus inde exitisse. Ergo est ab aliquo *opifice*, et quidem summa quadam sapientia et potentia prædito, sine quibus rerum tot ac tantarum ad fines singulis proprios et ad commune omnium ac speciale hominis bonum tam constans et tam eximia dispositio, convenientia, proportio, coordinatio ac consensus intendi ac perfici non potuit. Hunc autem *artificem* Deum dicere vel ex hoc maxime licet, quod Athei ideo negent dari Deum, quia nec talem *artificem*, nec illas perfectiones dari contendunt.

2^{um}. Argumentum est ex *uno homine*; cujus corpus tam admirabilis ac plane stupendi artificii, cujus anima tot facultatibus ad cognoscendum et libere volendum instructa, atque tot dotibus ornata, cujus denique mirabilior adhuc et in nullo Philosophorum systemate satis et ad captum explicanda unio inter corpus ac spiritum causam aliquam summe perfectam exigere manifeste videntur.

21. *Nec dicas* 1^o. Plura sunt in mundo, quorum nullus intelligitur *finis*; qualia sunt pluvia in deserto decidens, fulmen rupes diruens, muscæ, ranæ, serpentes etc.; ergo pro rebus conditis non est opus sapientia. 2^o. Tum mundus, tum ejus ordo est *finitus*; ergo sapientia et potentia infinita artificis inde non colligitur. 3^o. In orbe sunt plura *mala*; justi etiam sæpe carent bonis, et opprimuntur malis, cum contraria frequenter eveniant in improbis; ergo Deus nec auctor optimus, nec providus gubernator videtur esse hujus universi.

Ad 1. R. T. A. N. Cons. Tum quia ex eo, quod non cognoscamus rei cujuslibet finem ab agente intentum, non sequitur, nullum esse operis aut operantis finem: tum quia recte licet inferre agentis sapientiam ex iis, quorum finem discernimus, et quæ tanquam media ad finem optime assumpta videmus: tum quia bene suspicamur certum aliquem finem operi et agenti esse constitutum, quantumvis nobis ignotum, in iis rebus quæ summa arte et mirabili varietate ab eodem artifice facta cognoscimus.

Ad 2. R. Tr. C. Cujus veritatem ratione infinitudinis hic probandam non suscepimus; vicimus tamen contra *Atheos*, si causam sapientem ab opere

ipso distinctam concesserint: hoc enim dato facile erit, infinitam sapientiam, si non ex opere ipso, saltem aliunde demonstrare.

Ad 3. R. N. Cons. Deus quantumvis optimus omne equidem malum excludit a se, non tamen excludere ab aliis subjectis debet: permittit quidem mala etiam *moralia* seu culpæ, quia creavit naturas liberas, nulla lege ad peccata earum impedienda tenetur, et ex malis bona elicere potest; nullius tamen mali hujusmodi auctor est: malorum *physicorum* auctor esse potest, vel ut absolutus Dominus, vel ut tentator sui operis, vel ut vindex sceleris. Providentiam divini gubernatoris sortis illius diversitas ac insolentia non elevat; tum quia felicitas temporalis sæpe impedimentum non modicum est ad beatitudinem hominis consequendam; tum quia sicut bona hujus vitæ sæpe sunt merces operum naturaliter bonorum, quæ subinde faciunt improbi, sic mala sunt nonnunquam pœnæ delictorum levium, in quæ labuntur etiam probi.

22. *Dico III.* Inter argumenta *MORALIA*

1^{um}. Est a principio *Moralitatis* desumptum. Impossibile est, ut primum et universale boni virtutisque principium sit *error*, mali autem vitiique simile principium sit *veritas*; sed existere Deum est ejusmodi principium boni ac virtutis, Deum autem non existere est principium mali ac vitii, ut patet tum ex Atheorum vita scelerata, qui Psal. 13. 1. ex quo dixerant in corde suo: non est Deus, *corrupti sunt et abominabiles facti in studiis suis*: tum ex eorum doctrina, inter quos THEODORUS CYREN. apud LAERT., postquam Deum omnem negavit, citra pudorem docuit committenda sacrilegia, adulteria, aliæque facinoræ nefanda: tum ex ipsa rei natura; quia si legislator supremus non existeret, imperans bonum esse faciendum et malum etiam occultissimum fugiendum, potestatem habens obligandi perfecte, atque ex justo arbitrio tanquam remunerator bonis ac laude dignis præmia, et tanquam vindex malis ac vituperio dignis pœnas constituens, et hominibus hoc munus sæpe omittentibus aut violantibus etiam reddens; certe virtus passim negligeretur, et vitium impune committeretur. Ergo impossibile est, ut error sit Deum existere, et ut sit veritas Deum non existere; ergo Deus existit.

2^{um}. Argumentum est depromptum ex principio *Prudentiæ*. Universalissima et constantissima omnium sententia, quæque non potest esse nisi a puro rationis lumine, est tenenda, præsertim si sit tutior et instet necessitas eligendi hanc vel illi oppositam: sed talis est sententia statuens Deum existere; ergo. *M.* est evidens; tum quia in hoc casu sententia ejusmodi est moraliter certa; tum quia non licet homini hæerere suspensum.

Min. prob. per partes. Et quidem 1^o. vigere in omnium cordibus opinionem de Dei existentia, patet tum ex recensione *historiarum* cujuslibet nationis aut populi, tum ex singulorum etiam immanium hominum internis vel externis testimoniis, quæ vel per timorem vel invocationem auxilii in adversis aut favoris in bene cœptis confiteantur ens aliquod superius. 2^o. Hanc sententiam profluere *ex recta ratione* ostenditur, quia non est merum præjudicium leviter a mente susceptum, quod vel ab externis vel internis præjudiciorum fontibus promanarit. Nam imprimis non potuit provenire ex prava educatione, aut perversis exemplis aut subtilibus sophismatibus, quibus *externæ* præjudiciorum causæ definiuntur; quia hæc semper alligata

sunt certis quibusdam temporum, locorum aut personarum circumstantiis, et quamvis in aliquos forsitan vim suam exerant, in omnes tamen non dominantur: multo minus autem potuit oriri ex fontibus præjudiciorum *internis*, nempe sensibus fallacibus, imaginatione deludente, cupiditatibus abripien- tibus; quia hæ causæ adeo menti non suggerunt Dei existentiam, ut potius adversæ opinioni faveant, cum Deum neque percipiant sensus, nec imaginetur phantasia, nec libido exoptet. 3°. Sententiam pro Dei existentia stantem esse *tutior* patet; tum quia eam asserenti nihil timendum, si falsa sit; multum vero sperandum, si vera sit, ipseque vitam illi conformem duxerit: tum quia e contrario nihil est sperandum Atheo ex veritate suæ opinionis; ex illius autem falsitate plurima sunt timenda. 4°. Urget necessitas eligendi, cum de Dei existentia agitur; quia, si Deus est, eundem verbo confiteri et quotidiana ac jugi actione colere oportet: adeoque cum vel suspensus hærens jam utrumque non præstet, jam is exercite quæstionem practicam negat.

23. *Nec dicas* 1°. Existere Athei et adhuc sunt; ergo non est universalissima omnium sententia statuens, Deum existere.

R. *D. Ant.* Extiterunt et etiamnum sunt Athei practici seu actione et corde tales *C. speculativi* seu mente tales *subd.* plures aut populum vel nationem conflantes *N.* pauciores et sectæ rarissimæ *C.* Athei *actione* tales sunt, qui ita se gerunt, quasi nullum agnoscerent aut formidarent Deum; *corde* tales sunt, qui cupiditatibus servientes exoptant nullum existere Deum, imo et id conantur sibi persuadere. Hujusmodi Atheos communi nomine practicos dictos dari etiam frequentes, omnes tribuunt, quin tamen negent illis reipsa cognitam ac intime persuasam esse Dei existentiam. Speculativos vel *mente* tales vocant, qui rationibus et momentis ducti negant existere Deum. Ad hanc classem referuntur etiam Athei indirecti, qui Deo tribuunt aut negant, quæ tribui vel negari non possunt; et ejusmodi statuuntur fuisse DEMOCRITUS et EPICURUS, qui Deo negarunt creationem ac providentiam: proprie tamen magis huc pertinent, qui omnem divinitatis et religionis sensum ex animo exuunt, cujusmodi fuerunt DIAGORAS, VANINUS, SPINOZA et alii quidam. Per hos tamen non dissipatur *moraliter* unanimis populorum de Dei existentia consensus; nec inducitur ignorantia Dei invincibilis, cum hos quidem ex animo, non tamen bona fide ac inculpabiliter Atheos dicamus.

24. *Nec dicas* 2°. Opinio de Dei existentia fuit adinventata a principibus ad plebem coerendam; aut saltem tribui potest timori vulgi a tonitruum fragore perterrefacti; unde et illud est Poetæ: *Primus in orbe Deos fecit timor*: ergo.

R. *N. A.* Ex politiæ humanæ institutis non fuisse ortam de Deo opinionem patet vel ex hoc, quod sit universalissima ac constans; cum illa instituta pro nationum diversis propensionibus et earundem etiam mutationibus temperari debeant, atque hinc nec universalialia perpetua sint. *Metus* quidem rationem reddit attentam ad id, unde terror oritur, non tamen cum existentia Dei connexionem habet, præsertim si opinio de Dei existentia erronea foret: certe a *timore fulminis* si nata fuisset hæc sententia, jam plane evanuisset,

etiam tonitruum ac fulminum causa naturalis non amplius nos latet. Poetæ dictum satis elidunt testimonia Patrum ac Philosophorum.

25. *Nec dicas* 3°. Etiam errores universales quondam obtinuerunt, quales illi sunt de negata *Antipodarum* existentia, aut vulgi opinio de magnitudine solis aliorumque astrorum; ergo et opinio universalis de Dei existentia potest esse error.

R. *D. A.* Existere errores universales, quorum fontes facile deteguntur, et veritas aut falsitas nihil conferebat ad populorum utilitatem *Tr.* quia de allatis exemplis nec habetur monumentum edocens omnium opinionem unanimem, nec apud omnes cogitationem aut assertionem de ejusmodi objectis fuisse verosimile est; unde si qua fuit, horum objectorum tantum *nescientia* universalis erat. Existere errores universales, quorum causas plane ignoramus, et de quorum veritate ac falsitate maxime populorum intererat, qualem esse oporteret errorem de Dei existentia *N.*

26. *Nec dicas* 4°. Non magis ex unanimi populorum consensu probari potest Deum existere, quam *plures* existere *Deos*, et idololatriam esse admittendam: sed postremum est absurdum; ergo et prius.

R. *N. M.* Disparitas est 1°. Hæc *idololatriæ* opinio non erat universalis, cum in orbe fuerint filii Dei ac postmodum Hebræi, majoribus mundi imperiis cogniti, et inter Gentiles ipsos Philosophi ac prudentiores, qui Deum unum profitebantur, aut interius saltem agnoscebant. 2°. Non erat constans; tum quod per plura orbis primum conditi secula ab hoc errore genus humanum immune viguerit: tum quod insania idololatriæ jam per secula plura maximam partem evanuerit. 3°. Non erat sine præjudiciorum manifestis fontibus enata. Idea enim entis alicujus superioris et provisoris decernentis bona et mala hominibus per naturale lumen rationis facile percepta, deinceps tum sensuum tum imaginationis tum cupiditatis adminiculo, accedentibus etiam causis errorum externis, depravata fuit. 4°. Non erat profecta ex recto rationis usu, cum plurima erant in idololatriæ professione, quæ evidenter errorem ostenderent, si iis mens vel leviter attendere voluisset. Nihil ejusmodi habetur in opinione de Dei existentia, quæ vel ex ipsa idololatria ostenditur, tanquam aliquod fundamentum naturaliter quidem cognitum; sed male in usu applicatum et depravatum.

27. *Nec dicas* 5°. Certum pro incerto relinquere est imprudentis; sed qui ex hypothesi de Dei existentia, ex illius lege relinquit voluptates præsentis vitæ pro obtinenda mercede vitæ alterius, relinquit *certa* pro *incerto*; ergo.

R. 1°. *N. duplex supp.* Imprimis vitæ præsentis bona licet in se certa sint, non tamen sunt certa in assecutione aut fruitionis perseverantia: bona autem et mala alterius vitæ, quamvis secundum hypothesin *Atheorum* sint incerta in se, tamen si semel sunt, certa sunt respectu subjecti. Deinde opinio etiam de Dei existentia non interdicit legitimum et moderatum bonorum præsentium usum; quin et homo ad hujus opinionis regulas vitam accommodans illis certius fruitur, quo minus illis adhæret, quo quietius iisdem utitur, quo certior est de futuris etiam bonis et minus timidus de malis. Unde certum pro incerto non relinqui declaratur. R. 2°. *D. M.* Si incertum et certum

æqualiter se habeant, aut incertum certo sit duntaxat æquale *C.* Si non habeant se æqualiter, ac præterea incertum longe superet pretio certum, incertique spes certa affulgeat *N.*

28. *Observe.* Atheorum tum actione tum corde talium fundamentum unicum est *cupidas*, vitiorum omnium fecunda radix; unde sibi persuadere, nullum Deum existere, non tam rationum momentis, quam depravatæ voluntatis imperio postremi machinantur. Equidem idem etiam sæpius est initium Atheismi mente talis, nihilominus *mens male feriata* videtur fons ejus proprius ac verus. Invenire enim est homines sic comparatos, ut facile communis sententiæ momenta spernant amore novitatis et paradoxorum illecti; aut ut difficultatum mole opprimantur, quantumvis illæ nullæ sint, aut satis refutatæ. Inde autem fit, ut ad hypotheses ac systemata confugiant quantumvis absurda, modo novus ingenii partus veri speciem mentiatur potius quam habeat, aut difficultates prætensæ declinentur. Porro inter systemata, quæ hac ratione videntur ab Atheis conficta; tria præcipua sunt: *primum* est EPICURI, qui nihil nisi materiam et corpora statuit. Ad hoc revocantur systemata HERMOGENIS, qui seculo secundo inter cæteras hæreses docuit materiam æque esse æternam ac Deum; et PYTHAGORICORUM, qui materiam subtiliorem potentia faciendi omnia instructam tenuerunt. *Secundum* est BERKELEY, Angli cujusdam recentioris, qui præter spiritum in hoc universo nihil admisit. Ad hoc pertinet systema *Immaterialistarum* aliorum, aut potius diversa Berkeleyiani systematis expositio. *Tertium* est SPINOZÆ, natione Batavi, religione primum Judæi, posthæc ad Protestantium partes delati an. 1677. ætat. 44. defuncti, qui unicam in orbe substantiam extensione et cogitatione præditam ponit, hancque Deum vocat. Hæc systemata quam copiose, tam solide confutat *Theologia Naturalis*, recentioris Metaphysicæ pars præcipua.

ARTICULUS V.

AN DEUS SIT UNUS.

29. *Nota.* Unum dicitur vel *affirmative*, quatenus unum vocatur, quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio; atque hoc modo res quælibet una est: *negative* seu exclusive, quatenus unum idem est ac unicum, seu cujus natura numero multiplicari nequit, vel quod excludit consortium cujuslibet sibi æqualis; atque hoc modo sol unus est. Posteriori sensu quaeritur, an Deus sit *unus*? in qua questione classis negantium est multiplex; 1^a Gentilium polytheorum et idololatrarum, 2^a Hæreticorum duo summa principia statuentium, 3^a etiam Hæreticorum plures Deos *Æonum* nomine admittentium, 4^a itidem Hæreticorum, qui, quoniam tres Divinas Personas existimabant esse totidem Deos a se invicem natura numerali distinctos, ac totidem individua unius specificæ Divinitatis, vocati sunt Tritheitæ. Contra hos omnes universim

30. *Dico.* Deus est unus seu unicus.

Prob. ex Script., quæ singulis fere paginis prædicat unitatem Dei; Deut. 6. 4. *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est.* Ibid. 23. 39. *Videte,*

quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. 4. Reg. 5. 13. *Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra.* Ps. 17. 32. *Quis Deus præter Deum nostrum?* Marc. 12. 29. *Primum omnium mandatum est: audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Ad Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium.* 1. ad Cor. 8. 4. *Scimus,.... quod nullus est Deus, nisi unus.* Et v. 6. *Nobis tamen unus Deus etc.*

Conf. tum ex Conciliorum et fidei Symbolorum auctoritate, quorum primus articulus est *Credo in unum Deum*: tum ex summo consensu PATRUM, præsertim eorum, qui aut contra Gentiles aut contra Hæreticos pro hac veritate apologias plurimas ediderunt: tum ex universi pene orbis testimonio, quem Apostoli ac eorum Successores a vana plurium Deorum opinione ac cultu ad unius Dei adorationem traduxerunt: tum ex argumentis iis omnibus, quibus aut proxime errores oppositos convincemus, aut alibi veritatem Christianæ Religionis demonstramus, utpote cujus præcipuum dogma *Dei unitatem* complectitur.

Si ais 1^o. Pluritas Deorum in Religione tum Judæorum tum Gentilium a Scriptura asseritur, Genes. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; ubi *faciamus* et *nostram* denotat pluralitatem. 1. ad Cor. 8. 5. autem: *Sunt qui dicuntur Dii sive in celo sive in terra (si quidem sunt Dii multi et Domini multi)*; ergo. 2^o. In Scriptura etiam præter Deum Hebræorum agnoscuntur alii Dii; sic Angeli subinde apparentes se vocaverunt Deum; Moyses Exod. 7. 1. constituitur Deus Pharaonis; Judices, Prophetæ ac justi dicuntur Dii. Psal. 81. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum.* Et v. 6. *Ego dixi: Dii estis, et filii excelsi omnes*; ergo. 3^o. Eo modo hi omnes dicuntur esse Dii, quò modo ipse Christus dicitur Deus, ut patet ex Joan. 10. 34, 35, *Nonne scriptum est in lege vestra, quia dixi, Dii estis; si illos dixit Deus, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphematis?* sed Christus vere, proprie ac natura est Deus; ergo.

R. Ad 1. D. Hæc verba denotant pluralitatem in sensu tropico ac politico, ubi pluralis numerus usurpatur etiam ad explicandam loquentis auctoritatem *C.* in sensu litterali ac grammatico *subd.* Denotant pluralitatem personarum, quia actiones ad extra communes sunt SS. Trinitatis personis *C.* naturarum seu Deorum *N.* Deus est nomen substantiale, adeoque cum ponitur in singulari, essentia non multiplicatur; scriptura autem sic habet: *Vidit Deus, quod esset bonum, et ait: Faciamus etc.* Item hæc verba pronuntiat Apostolus, referendo duntaxat falsam gentilium opinionem *C.* ex propria sententia ac rei veritate *N.* Textus ipse græcus ostendit sermonem esse de iis, qui dicuntur *Dii*, et statim additur: *Nobis tamen unus Deus.*

Ad 2. R. D. A. In Scriptura præter Deum Hebræorum agnoscuntur alii Dii, sic tantum dicti ob participationem muneris alicujus, potestatis vel virtutis *C.* Agnoscuntur alii Dii vere tales per proprietatem, naturam et substantiam. *N.* Dii vocantur in Scriptura subinde *Angeli*, quia nomine et auctoritate Dei loquebantur; *Moyses*, quia speciali virtute ac potestate in Pharaonem donatus fuit; *Prophetæ* propter notitiam futurorum a Deo revelatam; *Judices* propter auctoritatem vitæ ac necis concessam; *Justi* propter gratiam et sanctitatem.